

opio folano & similibus confectis, adhibitis acquiri. Vel
posse Dæmones Sagis etiam in torturâ os comprimere, au-
resque obtundere, ut quamvis sentiant, non tamen au-
diant, quid illis à circumstantibus dicatur, nec possint
eloqui, quid perpetrârint in vivis: & quæ similia hac de
re poterunt proferri dialectica, quæ vid. in Schotti Phys.
Cur. cit. loc. Tantùm de hâc controversia.

Qv. jam V.

AN POSSINT DAEMONES MORBOS CONTAGIOSOS EX- CITARE?

§. 22. Ut controversia rectè instituat, notandum
est 1. sermonem esse de potentiâ seu virtute Dæmonum
nude considerata, quatenus à Deo non est impedita; 2. nos
non agere de virtute eorum propria an scilicet immedia-
te eos producere possint, sed an applicando agens ad pa-
tiens ejusmodi possint lues proferre. Hisce prædictis &
præsuppositis, affirmamus cum Delr. l. 2. Mag. Disq. Qv.
II. quod possint, hâc adhibita limitatione, dictos morbôs
excitare: Exempla videas ap. cit. Autorem, ne sim pro-
lixior, ea in præsentia mitto, quomodo autem id fiat, dua-
bus explicabo Conclusionibus. Sit I. Possunt Dæmones
aerem putridum & tabificum facere, si scilicet ejus mo-
tum, seu continuum fluxum impedian, quod ipsorum
virtutem non vincit, quia ex ejusmodi effluviis aeriis, ut
in prioribus fuit demonstratum quæstionibus, possunt ef-
fingere corpora constringendo & condensando ea. Et sic
itidem in statu præter naturali possunt aerem ad certum
tempus immobilem & fixum tenere, usque dum tandem
putrescat, sicuti *putrescunt ni moveantur aqua*. Ex quibus
effluviis malis & contagiosis, mali & contagiosi denique
D oriun-